

tione commissum est mere materiale. Nec dicant illud esse forsitan voluntarium *in causa*: nam si fuit vere voluntarium in causa, tunc necessario affuit aliqua cognitio, ac proinde tunc peccatum patratum fuit (2).

145. **RESOLVES.** — 1^o Ignorantia vincibilis circa praeceptum aliquod est peccatum, et in re gravi potest esse grave, si negligentia notabilis fuerit; ratio, quia omnis lex obligat primo ad sui notitiam et proinde violatur praeceptum non solum per actum ipsi oppositum, sed etiam per voluntariam eius ignorantiam.

2^o Actus mali eam habent malitiam, quae apprehenditur. Unde si incidat cognitio de malitia tali, seu taliter specifica, haec vere per actum voluntatis contrahitur. — *Ita communiter.*

3^o Si quod peccatum praevisum in causa fuerit, et dein cum advertentia ponatur, duplex habebitur peccatum, nempe 1^o in causa voluntaria, 2^o in se ipso (3).

3^o Si ignorantia, culpabilis in principio, invincibilis evadat, actus malus non est peccatum in se, sed ratio peccati a sola causa repetenda est. Porro invincibilis evadet, si nulla amplius de negligentia praeterita, aut de actuali ignorantia cogitatio subeat, quia tunc deficit potestas proxima et expedita ad ignorantiam depellendam. Evadit etiam invincibilis ignorantia, si suboriens de ea dubium depelli non possit.

5^o Obcaecati et consuetudinarii, quamvis ob defectum clarioris tunc cognitionis, forte peccent quandoque minus graviter in actu quam alii, non tamen excusantur, quia status eiusmodi, ubi nulla est emendationis cura, est illis voluntarius et culpabilis (4).

6^o Caeterum aegre admittenda est inadvertentia perfecta in consuetudinariis, quia saltem *in confuso* peccati malitiam advertunt. Si quando tamen actus malos omnino inadvertenter ex consuetudine perpetrent, hi actus peccata quidem actualia dici nequeunt (5), quia hic et

(2) His continentur prima ethicae principia, a S. Alphons. quoque constituta. Sane l. 5. n. 4. ait quidem: operanti secundum suam passionem, quam deliberate sequitur, imputari omnem pravam effectum tali passioni connexum, etsi in particulari non cognoscatur: Subdit tamen verba haec sequentia: Qui (effectus) etsi in particulari non praevidentur, praevidentur saltem in confuso... Unde effectus provenientes, quamvis non sint voluntarii

in se, sunt tamen voluntarii in sua causa.

(3) Bis nimirum actibus, ut supponimus, formaliter distinctis, et in idem peccatum consentit. Vid. infr. De numerica peccatorum distinctione.

(4) Oppositum statue, si emendationi, uti par est, studeant.

(5) Minus exacte et contra omnium DD. sententiam dicitur, peccata eiusmodi appellari non posse actualia. Communis enim omnibus ea partitio est, iuxta quam

nunc non sunt voluntarii; veruntamen voluntarii sunt in causa, atque adeo semper ipsis imputantur, quia stricta obligatio pravae consuetudinis corrigendae semper urget. Id ipsum dicendum est de aliis peccatis, quae sunt voluntaria mere in causa; nimirum tunc reatus contrahitur, cum causa ponitur voluntarie; et cum totus reatus in causa resideat, eodem modo hic aderit, sive actus eiusmodi consequantur, sive non, et sive pauciori, sive maiori numero iidem frequententur (6).

CAPUT II.

DE GRAVITATE PECCATI, PRAESERTIM DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

146. — **DEFINITIONES.** *Gravitas peccati* est quantitas seu mensura malitiae, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum, et proinde maiori vel minori poena dignum.

Peccatum mortale est transgressio legis graviter obligantis, seu gravis offensa Dei, privans amicitia divina et gratia sanctificante, et peccatorem reddens aeterna poena dignum.

Peccatum veniale est transgressio legis leviter obligantis (1), seu levis offensa Dei, quae nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde ab aeterna beatitudine excludit.

Quaedam peccata sunt mortalia *ex toto genere suo*, quando eorum obiectum seu materia, quaecumque ea demum sit, gravem semper continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, periurio, haeresi, etc. contingit. — Mortalia dicuntur *ex genere suo (non toto)*, quando eorum materia in eadem specie manens potest esse gravis, quamvis et levis esse possit, cuiusmodi sunt peccata contra iustitiam. — Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata, quae, spectata obiecti materia seu natura, non admittunt gravem reatum, et ideo quousque maneant intra sua speciem, alia scilicet species non accedat ex genere suo mortalis, nequeunt mortalia esse. — S. Lig. n. 41. (2).

actuale peccatum distinguitur ab *originali*, atque adeo *actuale* dici debet quidquid peccati *originale* non sit. Verum Auctor, ut patet, vocem *actuale* hic sensu minus usitato adhibet ad significandum peccatum, quod *in se* voluntarium est, et ab eo distinguitur, quod voluntarium est dumtaxat *in causa*.

(6) Cessabit vero reatus omnis, si causa per poenitentiam retractata, emendandi curam necessitati parem quis adhibeat.

(1) Haec traditur definitio peccati venialis *ex obiecto*; nam alioqui ex actus imperfectione levis esse potest culpa, licet per se lex graviter obliget.

(2) Vid. infr. Not. ad n. 153.

His positis, sint sequentes propositiones:

PROPOSITIO I.

Non omnia peccata sunt aequalia, sed sunt alia aliis graviora.

147. — *Prob.* 1^o ex Scriptura sacra. Ieremias c. 7. ait de Israelitis: *Peius operati sunt, quam patres eorum.* — Sic Christus Pilato, *Ioann.* 19.: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.*

Prob. 2^o ex ratione. Dicendum, data proportione, de iniuriis hominum in Deum, quod dicitur de iniuriis filiorum in parentes, vel subditorum in Principes; atqui istae sane inter se differunt *ratione gravitatis*: ergo etiam illae. — Insuper peccata sunt oppositio ad virtutes et praecepta; atqui sunt virtutes aliae aliis excellentiores, et praecepta alia aliis graviora: ergo oppositio ad haec erit gravior, vel minus gravis. Aliunde etiam intentio prava delinquentis potest varios malitiae gradus admittere ut patet. Ergo...

QUAER. *Undenam repetenda est maior, minorve peccatorum gravitas?*

Resp. Repetenda est generatim 1^o ex obiecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturae rationali, vel legi repugnant; 2^o ex duratione actus mali, vel ex eius intensitate; 3^o ex advertentia maiori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo praestiti; 4^o ex praestantia virtutum vel praeceptorum, quibus peccata opponuntur; 5^o ex variis modis quibus virtutes aut leges violantur.

PROPOSITIO II.

Dantur peccata mortalia.

148. — *Prob.* 1^o ex Scriptura sacra. 1. *Cor.* 6. et seq. dicitur: *No-lite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* — Et *Rom.* 1. 32.: *Qui talia agunt, digni sunt morte.* — Et 1. *Ioann.* 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte* — Adde innumera alia S. Scripturae testimonia, ex quibus luculenter constat, multos homines propter peccata sua a Deo fore reiiciendos et poenis aeternis cruciandos.

Prob. 2^o ex Ecclesiae auctoritate. Ecclesia enim docet dari peccata mortalia. Sic *Trid.* sess. 6. can. 27... *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.* Item, sess. 14. c. 5. ait: *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia... in confessione recenseri.* Ergo dantur peccata mortalia.

PROPOSITIO III.

Dantur peccata mere venialia.

149. — *Prob.* 1^o ex Scriptura sacra. *Prov.* 24. 16. dicitur: *Septies cadet iustus, et resurget.* Ergo qui cadit seu peccat dum iustus est, non peccat mortaliter, siquidem non privatur iustitia; ergo tantum venialiter. Ergo, etc. — Item *Iacob.* 3. 2.: *In multis offendimus omnes:* atqui non peccamus omnes mortaliter, cum multi sint iusti ante Deum, ut constat ex multis locis veteris et novi Testamenti, v. gr. ut dicitur de Zacharia et Elisabeth, *Luc.* 1. 6., de S. Ioseph. *Matth.* 1. 19., etc. Ergo sunt iusti non immunes a peccato; ergo dantur peccata venialia.

Prob. 2^o ex definitione Ecclesiae. *In Trid.* loco supra citato dicitur: *Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, multis aliis remediis (praeter sacram. Poenit.) expiari possunt.* Constat etiam ex *propos.* 20. *Baii* a Pio V. et aliis SS. Pontiff. damnata, quae sic sonat: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Prob. 3^o ex ratione. Etenim inter amicos dantur offensae leves, quae non solvunt amicitiam; ergo similiter erga Deum dari debent. Ergo...

150. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *In quo consistat differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale?*

Resp. Differentia inter peccatum mortale et veniale in hoc sita est, quod qui peccat mortaliter, a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat, atque in ea tanquam in fine suo quiescat; contra vero qui peccat venialiter, non recedit a Deo, sed actus ponit ita deordinatos, ut nullatenus ad Deum tendere possint. — *Ita communiter cum S. Thom.* 1. 2. qu. 72. art. 5.

QUAER. 2^o *quaenam ad peccatum mortale requirantur?*

Resp. Tria necessario requiruntur, scilicet 1^o materia gravis vel in obiecto vel in circumstantiis; — 2^o advertentia plena ad malitiam gravem actus; — 3^o consensus plenus voluntatis in praevaricationem.

Itaque 1^o requiritur materia gravis; secus enim non distingueretur peccatum mortale a veniali ratione materiae, cum materia levis per se non possit hominem dissolvere ab amicitia divina (3).

2^o Requiritur etiam plena advertentia, plenusque consensus, quia cum per peccatum mortale homo totaliter recedat a Deo, ut creaturis adhaereat, id fieri non potest, nisi peccator deliberate obiectum peccati Deo praeferat, et sic suum finem ultimum in creatura constituat. Insuper

(3) Levis nempe materia per se non | gravis non est obligatio neque transgres-
inducit gravem obligationem; ubi autem | sio gravis esse potest.

a bonitate divina prorsus alienum est, hominem aeternae damnationi addicere sive propter transgressionem levem sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium. — *Ita omnes.* — S. Lig. n. 5. 6. 53.

Porro advertentia plena et sufficiens censetur, si cogitatio expressa, vel saltem grave dubium de malitia mortali consensum vel actum peccaminosum praecedat. Et hoc quidem etiam unico instanti fieri potest per simplex iudicium de malitia, quin mens per discursum pluries in seipsam speciali actu reflectat; attamen semper vera et plena mentis deliberatio, et obiecto pravo plena adhaesio requiritur.

QUAER. 3^o *Quaenam requirantur ad peccatum veniale?*

Resp. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus quantumvis imperfectus: requiruntur ista quidem, quia hisce sublatis nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest; sufficiunt vero, quia illis positis mali cognitio et volitio, quae ad peccatum constituendum necessariae sunt, aliqua ratione habentur.

151. — QUAER. 4^o *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiae?*

Resp. Triplex regula assignatur.

I^a *Regula.* Recurrendum est ad *Scripturam Sacram.* Quae enim sint gravia, vel quae levia, non humano sed divino sunt pensanda iudicio, ait S. Aug. *Ench.* c. 77. Porro ea sunt mortalia existimanda, quae in S. Scriptura declarantur digna morte, aut excludere a regno coelorum; vel quae enuntiantur cum particula *vae*, quae sane deformitatem vere gravem denotat. Sic Apost. de operibus carnis, Galat. 5. 19. ait: *Quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* — Recole etiam longam seriem peccatorum mortalium, quae recenset Apost. 1. Cor. 6. et seq. ut supra Prop. II.

II^a *Regula.* Recurrendum est ad *Ecclesiam*, seu ad definitiones SS. Pontificum ad Decreta Conciliorum generalium, etc., in quibus plura declarantur mortalia, vel tantum venialia. Ecclesia enim est columna veritatis, et proinde ab eius doctrina regula et mensura morum repetenda est.

III^a *Regula.* Recurrendum est ad SS. Patres, ad *Ecclesiae Doctores*, necnon ad communem Theologorum doctrinam. Etenim SS. Patres et Doctores fuerunt a Deo in medio Ecclesiae positi tamquam lucernae ardentes ad depellendas erroris tenebras, et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt, quam caeteri, Scripturae ac Patrum testimonia et Ecclesiae Decreta interpretari, atque casus non definitos cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, atque ex paritate vel

similitudine opportunas deducere conclusiones. Quae igitur ab ipsis unanimiter tanquam mortalia habentur, ut talia aestimanda sunt; Doctorum enim consensus veritatis indicium est.

152. — Deficientibus praemissis regulis, valde difficile est determinare, quandonam peccatum sit grave vel leve. Generatim autem gravia censentur.

1^o Omnia peccata, quae sunt directe contra Deum, vel aliquam eius perfectionem. Item omnia peccata, quae vergunt in grave praedictum generis humani, ut sunt variae luxuriae species.

2^o Omnia peccata, quae graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio ieiunii, Missae, confessionis annuae, Communionis Paschalis, etc.

3^o Omnia peccata, quibus graviter laeditur proximus in bonis vitae, fortunae, famae, etc., ut homicidium, detractio proximo valde noxia, furtum notabile, etc.

Caeterum limites inter peccatum mortale et veniale saepe saepius nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris Doctorum ea de re controversiis. Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo certo constet, ut recte notat S. Lig. *Syst. mor. ad finem*, et l. 6. n. 604. 605 (4).

(4) Praestat hic ea subiicere, quae S. Alphonsus priori loco habet. *Res admiratione digna est* (inquit) *videre, aliquos nullum reputare tutiorem modum salvae faciendi animas, quam eas per semitas asperiores ducere; sed non minus isti errant, quam alii qui conscientias per laxiorem ducunt viam. Non solum enim rationem Deo reddere tenemur de nimia indulgentia, verum etiam de nimia rigiditate, qua conscientiae illaqueantur, quod proprie est iuxta S. Antoninum aedificare ad gehennam. Valde apposite id explicat Cabassutius ex doctrina S. Bonaventurae; postquam enim detestatur immodicam benignitatem, reprobatur immoderatum rigorem, qui, ut ait, dum homines ad nimis ardua compellit, viam salutis aeternae praecludit; salvandos (ut ait B. Bonaventura) damnat, et conscios propriae infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit enim, ut miseri homines, hac*

audita rigidiore doctrina, credant vel dubitent inesse mortalem culpam, ubi nulla est; sed tamen rei difficultate victi ex erronea conscientia mortaliter peccant et damnantur. — Ita S. Alphonsus, qui plures dein subiicit Doctorum sententias. Hasce in rem nostram seligimus.

Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum, aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re: nam per eiusmodi assertiones rigidas et nimis strictas nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. Gerson.

Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam. S. Raymundus.

Nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripturae. Gabriel Biel.

Quaestio, in qua agitur, utrum sit

153. — QUAER. 5^o *Quomodo peccatum ex genere suo mortale fiat veniale et vice versa?*

Resp. 1^o Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale quadruplici modo, ratione scilicet 1^o parvitas materiae; — 2^o imperfectae advertentiae; — 3^o imperfecti consensus; — 4^o conscientiae erroneae. — Ita S. Thom. 1. 2. qu. 88. art. 1. et 2. — S. Lig. n. 54.

Resp. 2^o Peccatum autem ex genere suo veniale fieri potest mortale 1^o ratione conscientiae erroneae: — 2^o ratione scandali; — 3^o ratione pravi finis graviter mali; — 4^o ratione contemptus formalis legis, seu auctoritatis praecipientis; — 5^o ratione pravi affectus in rem alioqui leviter malam, adeo ut vel praeceptum graviter obligans transgredi quis sit paratus; — 6^o ratione periculi seu occasionis proximae in peccatum mortale labendi — Ita omnes (5).

154. — QUAER. 6^o *An graviter peccaret qui sola mortalia vitare vellet, et de omittendis venialibus minime curaret?*

Resp. Neg. probabilius per se et speculative loquendo. Ratio est, quia animus ita comparatus non inducit proximum peccandi graviter periculum (6). — Ast in praxi difficilis res est, et valde ardua, cum facilitas peccandi venialiter causa sit, cur anima paulatim debilitetur et facilius gravibus tentationibus demum vincatur iuxta illud *Eccli.* 19. 1: *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

peccatum mortale, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturae aut canonis Ecclesiae, vel evidens ratio, periculosissime determinatur. S. Antoninus.

Si vero (Confessarius) non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali. Et cum promptiora sint iura ad solvendum, quam ad ligandum, ... potius videtur absolvendus. S. Antoninus.

(5) Non praetermittenda hic est doctrina S. Thomae, peccatum ex genere suo veniale non posse fieri mortale, nisi accedat circumstantia speciem immutans, atque adeo numquam id contingere ob circumstantiam mere aggravantem. Ita s. Doctor (1. 2. q. 88. art. 5.). *Manifestum est, quod circumstantia non potest de veniali peccato facere mortale,*

manente circumstantia; sed solum tunc, quando transfert in aliam speciem, et fit quodammodo differentia specifica moralis actus. Conf. etiam *De malo* q. 2. art. 8.

(6) Haec responsio desumpta est ex S. Alphonso (lib. 4. n. 12.); verum S. Alphonso non de mera in cavendis venialibus negligentia, sed de proposito committendi omnia venialia quaestionem facit, neque dumtaxat speculative probabilior eam sententiam dicit, quasi in praxi obligatio gravis adsit vitandi eiusmodi remotum periculum.

Bene Card. De Lugo (*De Poenit.* disp. 15. n. 49.): *Nemo dicet, ex hoc capite esse obligationem sub peccato mortali ad vitanda venialia.*

Et Suarez (*De Relig.* tract. 8. lib. 1. cap. 4. n. 18.): *Advertere oportet, raro aut nunquam peccari mortaliter ob eiusmodi periculum; ... quia alias non est occasio proxima, sed remota.*

QUAER. 7^o *An sit peccatum grave, periculo labendi probabiliter in mortale semet sine causa exponere?*

Resp. Affirm. si agatur de occasione proxima peccati, ut res per se patet; secus vero in aliis casibus. — Sanchez, *In Decal.* lib. 1. cap. 8. n. 1.

155. — QUAER. 8^o *An peccet graviter, qui sine causa sufficienti ponit actionem, ex qua turpes motus passurus sit?*

Resp. Non peccat graviter, si actio non sit per se graviter influens in pravos effectus, modo eos non intendat, et absit periculum proximum consentiendi in pravam delectationem. Secus, si actio per se graviter in motus influat, ut sunt graves culpa in genere luxuriae. — S. Lig. l. 3. n. 482. ad. 484 (7).

QUAER. 9^o *An peccet graviter, qui deliberat de consensu rei graviter illicitae praestando, si tandem non consentiat?*

Resp. Solutio quaestionis pendet e qualitate deliberationis. Si enim haec imperfecta sit, nempe si non sit nisi quaedam haesitatio, seu resistantiae omissio ex torpore, pigrizia, aut negligentia, peccatum veniale non excedet. — Lacroix, n. 226. — Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale, quia voluntas paratam se ostendit ad Deum peccato postponendum. — Lacroix, l. 5. n. 229. — Sanchez, *Decal.* l. 1. cap. 8. n. 16.

QUAER. 10^o *An peccata venialia multiplicata peccatum mortale efficiere possint?*

Resp. Peccata venialia quantumvis multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis, nunquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. Quandoque tamen ratione materiae coalescentis ad mortale deveniunt, ut, v. gr. in materia iustitiae accidit.

156. **Resolves.** — 1^o In praxi ad distinguendum peccatum veniale a mortali, sedulo attendendum est 1^o ad naturam actus; 2^o ad eius gra-

(7) *Sententia communior et probabilior docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae... Ratio, cur causa debeat esse per se mortalis, est, quia cum pollutio (ex hypothesi) non sit volita in se sed tantum in causa (atque adeo praeter intentionem), eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa. Ratio autem, cur debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est, quia, si causa leviter ad*

pollutionem concurrat non est gravis obligatio causam illam vitare ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit. Hinc infertur non esse nisi venialem pollutionem, quae oritur... ex levi aspectu aut curiosa lectione venialiter turpi. S. Lig. (lib. 4. n. 484.). Atque hinc consecarium habes, nullum ex huiusmodi effectibus reatum contrahi, ubi iusta quaecumque ratio adsit ponendi causam, v. gr. studendo, medendo, confessiones audiendo, etc.

vitatem ex parte obiecti, finis, et circumstantiarum; 3^o ad gradum deliberationis, malitiae, infirmitatis et ignorantiae.

2^o Ubi clarum non est, aliquod peccatum esse mortale, non debet esse praeceptus Confessarius in iudicando illud esse reapse grave tum obiective tum subiective; quia in dubio pro minima parte standum est, vel saltem res est divino iudicio relinquenda. — S. Lig. n. 52. — S. Thom. — S. Antoninus, etc.

3^o In dubio de perfecto consensu iudicabis in favorem poenitentis, 1^o si sit timoratae conscientiae et habitualiter paratus sit mori potius, quam Deum offendere; 2^o si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit; 3^o si nesciat, an vigilans vel dormiens, an sui plane compos quidpiam mali fecerit aut voluerit. — Elbel, n. 578. S. Lig. lib. 6. n. 476.

4^o Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam adhibeat, quo poenitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum praesertim, quae plena cum advertentia committuntur, removeat. Quippe qui nihil prorsus satagit vitare venialia, paulatim in mortalia aliquod prolabi demum solet. — V. *Casus*, n. 144. et seq. — Roncaglia c. 1.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM

Agendum 1^o de distinctione specifica; 2^o de distinctione numerica.

ARTICULUS I. — DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

DISTINCTIO specifica peccati oritur ex speciali malitia, seu ex diversa deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt. Malitia enim peccatorum varia est pro diversitate obiectorum, ad quae se convertit peccator. Sic homicidium, furtum, luxuria specie differunt.

137. *Regulae*. — 1^a *Regula*. Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, necnon ex deformitate moraliter diversa contra eandem virtutem.

Ratio 1^a patet, quia singulae virtutes habent suam bonitatem specialem et omnino distinctam; ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahunt. Sic negatio veritatis revelatae, desperatio, odium Dei inter se specie differunt. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, scilicet Fidei, Spei, et Charitati.

Ratio 2^a est, quia ubi malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, eidem speciali modo repugnat, et novam classem deformitatis constituit. Est autem moraliter diversa haec malitia, quando opponitur variis officiis eiusdem virtutis, vel modo omnino disparato et opposito

hanc virtutem laedit. Sic homicidium, furtum, detractio specie inter se differunt, licet eidem virtuti, iustitiae scilicet, adversentur? Quare? quia opponuntur diversis officiis eius virtutis, quae iubet ut nemo laedatur sive in bonis vitae, sive in bonis fortunae, sive in bonis famae. — S. Lig. n. 31.

138. — II^a *Regula*. Specifica peccatorum distinctio desumitur etiam ex violatione praeceptorum *moraliter* diversorum. Peccatum enim est legis, seu praecepti transgressio; ergo ubi praecepta specie morali inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita specie differre debent. Sic omissio Missae die festo, omissio ieiunii praecepti, omissio confessionis annuae vel Communionis Paschalis, specie inter se differunt. Dicuntur autem praecepta moraliter diversa, quoties diversum habent obiectum, ut ieiunium, auditio Missae, abstinentia a carnibus; vel quoties motivum praecepti est diversum, licet obiectum idem sit. Sic duplex peccatum specie diversum patrat, qui in Quadragesima omittit ieiunium, ad quod aliunde ratione poenitentiae sacramentalis tenetur. Contra vero furtum est unicum peccatum, licet divina et humana lege prohibeatur, quia eadem est ratio prohibitionis. — S. Lig. lib. 5. n. 33.

Aliqui addunt tertiam regulam ex obiectis repetitam (1); huic sequentes versiculi:

Virtus, praeceptum, diversa obiecta, modusque
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

139. *Resolves*. — 1^o Quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea coniugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe, castitatem, religionem, pietatem et iustitiam.

(1) Graviorum Theologi regulam hanc proponunt non ut tertiam quampiam ab aliis seiunctam, sed potius ut primariam, ad quam reliquae tamquam ad radicem seu fundamentum reducuntur. Conf. Suarez (In 1. 2. Tr. 3. disp. 7. sect. 7. n. 4. et 6.), et Laymann, qui (lib. 1. Tr. 3. cap. 2. n. 2.) scribit: *Unitas vel diversitas specifica peccatorum... proxime ac formaliter desumitur ex rectitudine seu honestate virtutis, cui opponuntur: remote autem et fundamentaliter ex obiecto*. Et Tanner (disp. 2. *De act. hum.* q. 5. dub. 2. n. 49.): *Atque hoc* (scil. peccata distingui penes oppositas virtutes) *in re non est diversum*

ab eo, quod est distingui specie secundum obiecta, cum ipsae virtutes specie distinguantur secundum obiecta. Praeiverat autem S. Thomas (1. 2. q. 72. art. 1. ad 2.): *Peccata magis distinguuntur specie secundum obiecta, quam secundum opposita: quamvis etiam distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret: virtutes enim distinguuntur specie secundum obiecta*. Et rursus (2. dist. 42. q. 2. art. 2. q. 1. ad 1.): *Divisio peccati in species suas essentialis est per oppositum virtutis, quia oportet, quod sit secundum obiectum, ex quo specificatur peccatum et virtus*.